

se, praxis ecclesiæ Romanae id ipsum quin exsuperet. De Calice ergo conclamatisima res est, neq; quisquam laicorum est qui consolationis spem concipere posthinc poscit remissionem peccatorum suorum Sangv. Christi obsignatam esse, nisi quis integritatem Sacramenti magis ex stulto rationis acumine, quam ex Auctoris dictamine frivole juxta ac periculosissime velit judicare. Qvod si quæ divinæ iræ æstu retorrida scelerumq; metu exsangvis anima sanctissimum hunc sanguinem sitiat, ejusq; Communionem impensisime efflagitet, pia illicò desideria Obstantiensis Concilii rigore protelant, adjectis insuper horrendis convitiis, esse POCULUM TOXICO REFERTUM qvod nonnisi hereticis precibus expetatur Qvorsum videatur Petrus Swavis. Hist. C. T. L. V. fol. 4. 16. Tum statum religionis in Gallia refert, quanto in periculo versetur, ne plane pessum eat & opprimatur: quæ item remedia ad eam tuendam adhibenda. Ea duo omnino esse, ut Regi Navarre a deum modum satisfiat, uti religionis patrocinium velit suscipere. Item, ut populo per omnem Galliam sub utraq; specie cœna Dominica communicetur, hoc facto, ducenta millia animarum Ecclesiæ posse lucrificari. Id ipsum Orator Pontificij am proposuerat, Regis, Ecclesiæ Præsumumq; Galliæ nomine contendens, ut Eucharistia sacramentum populo integrum ministretur. Eam præparationem populo Gallico non modo utilem, sed necessariam; qua hominum mentes ad decreta Concilii alacrius accipienda comparentur ac emoliantur, nisi ea adhibetur, periculum esse, ne remedium intempestivum, humoribus adhuc crudis & male digistis, morbum gravorem parturiat. Et Pontifex pro ingenio suo ex improviso nulla habita deliberatione respondit, sua quidem opinione communionem sub utraq; specie, & connubia Sacerdotum fuisse semper juris positivi: de quibus cum pari auctoritate Pontifex statuere possit, atq; Ecclesia ipsa universalis in ultimo Cardinalium confessu petitiones eas pro Lutheranis habitas. Cesarem ipsum Ferdinandum, Maximiliani filii sui Regis Bohemiae nomi-